

Quaestio IX

Utrum voluntas increata in generatione eterni verbi habeat rationem principii productivi.

Et videtur quod sic, quia in generatione illius habet voluntas increata rationem principii productivi quod per modum voluntatis increate producitur, sed verbum eternum est huiusmodi. Igitur maior nota, sed minor probatur, quia nobilissimo producto debetur nobilissimus modus productionis, sed verbum eternum est nobilissimum productum, igitur.

Sed nobilissimus modus productionis est libere producere ac voluntarie. Patet, quia si non tunc modus quo animal brutum naturaliter prosequitur aliquid esset nobilior quo rationalis creatura libere aliquid prosequitur, quod videtur falsum quare etc.

Ad oppositum in generatione prima non habet increata voluntas rationem principii productivi quod producitur non voluntate, sed natura. verbum eternum et huiusmodi, igitur. Maior nota, quia productio naturalis et voluntaria ex opposito distinguntur, 9 Metaphisice, textu commenti 10, et minor est Magistri hic in littera.

Respondeo ponendo tres conclusiones. Prima conclusio est quod voluntas creata in qualibet volitione et nolitione habet rationem principii productivi. Probatur tripliciter.

Primo sic: voluntas creata habet rationem principii productivi respectu alicuius actus potentie exterioris, igitur et respectu cuiuslibet sue volitionis ac nolitionis. Consequentia patet. Augustinus primo retractionum, capitulo 9, dicit quod nihil est tantum in potestate voluntatis sicut ipsa voluntas et certum est quod loquitur de actu voluntatis. Antecedens probatur, quia actus exteriores imperati sunt effective a voluntate imperante. Patet, quia voluntate imperante statim ponitur actus ex hoc quod voluntas imperat, et voluntate non imperante non ponitur, ut docet experientia de actu loquendi orandi vel disputandi. Illud autem dicitur causa effectiva rei, quo posito ponitur res et quo remoto res removetur.

Secundo sic: si voluntas creata in qualibet volitione vel nolitione non haberet rationem principii productivi, sequeretur quod uno obiecto equaliter (21va) se habente duobus equaliter dispositis presentato in utroque semper sequeretur equaliter volitio vel nolicio. Consequens falsum et contra Augustinum 2 De civitate Dei, 7, ubi vult quod duobus hominibus in corpore et anima equaliter dispositis et temptatis de simili peccato, unus ex se libere habebit actum volitionis et alius nolitionis, et similiter hoc patet in eodem homine, quia aliquando idem obiectum liber accepta aliquando libere respuit, et per hoc ibidem concludit Augustinus quod in utroque voluntas est causa sue volitionis vel nolitionis, et patet consequentia, quia si voluntas non esset illorum actum causa effectiva tunc illi effectus producerentur a causa naturali et non libera cum sola voluntas sit de se potentia libera. Causa autem naturalis circa idem obiectum eodem modo dispositum et circumstantionatum semper dicit similem actum.

Tertio sic: si creata voluntas non haberet rationem principii productivi in actibus suis, sed solum passivi, tunc actus suus non esset in potestate sua. Consequens contra Augustinum, ut allegatum est. Consequentia probatur, quia in potestate patientis non est quod ipsum patiatur in quantum paciens est, quia in potestate patientis non est actio agentis, cum naturaliter prius non est in potestate sui posterioris.

Contra conclusionem istam arguit quidam; primo sic: omnis potentia finita activa terminatur vel per maximum in quod potest, vel per minimum in quod non potest. Sed voluntas creata non terminatur per maximum in quod potest nec per minimum in quod non potest, igitur non est activa. Igitur ad nullum actum habet rationem principii productivi. Maior patet per Philosophum 1 De celo et commentatorem commento 16, ubi Philosophus ostendit quod activa

potentia finita terminatur vel per maximum in quod potest, vel per minimum in quod non potest, sed probatur minor, primo quoad primam partem scilicet quod non terminatur per maximum, quia si esset aliquod maximum in quod posset voluntas, adhuc in aliquod maius ipso posset et sic maximum non esset maximum, quod implicat. Assumptum probatur, quia pono quod potentia voluntatis quam habet ipsa voluntas ad causandum actum maximum sit a et ille actus qui ponitur maximus sit b et tota resistantia quam habet in tali actione sit c, tunc certum est quod a excedit c per excessum divisibilem, ut patet per Philosophum et commentatorem 8 phisicorum commento (21vb) 35 ubi volunt quod in omni motu potentia motoris excedat potentiam rei mote. Si in proposito oportet quod a excedat c, aliter non proveniret actio ipsius a supra c volo quod iste excessus sit d, tunc capio aliquem actum qui sit maioris resistantie quam b cuius resistantia ad voluntatem sit solum per medietatem ipsius d, et si talis actus e tunc adhuc potentia a excedit resistantiam ipsius e quia minor est augmentatio resistantie e supra b quam fit excessus potentie a supra c igitur a potest in e sed e est maior et actus quam fuerit b per casum, igitur b non fuit maximum in quod voluntas potest quod erat probandum.

Probo consequenter secundam partem, scilicet quod non terminatur voluntas per minimum in quod non potest, quia non potest esse minimus actus vel remississimus in quem non potest voluntas cum istis circumstantiis, quia si talis actus minimus ponatur volo quod sit b tunc argumentor sic.

Voluntas per potentiam a quamlibet potestatem b potest causare quia quelibet pars b est minor quam quodlibet minus b et quodlibet minus b potest causare. Igitur et quamlibet partem ipsius b igitur si incipit causare secundum ultimum sue potentie non cessabit actio sua quosque b totum fuerit secundum se totum et secundum quamlibet partem sui causatum. Igitur b non est minus in quod non potest, quia in partem quamlibet ipsius b potest et per consequens in minus quam sit ipsum b.

Secundo sic: nihil potest agere in se ipsum. Igitur voluntas non est sui actus activa. Patet antecedens per Aristotelem et commentatorem 9 Metaphisice commento 39. Consequentia patet quia nulli dubium quod voluntas sui actus receptiva si igitur esset activa, ageret actum in seipsam. Et confirmatur, quia tunc voluntas insimul esset in actu et in potentia, quod est contra Aristotelem e7 commentatorem 9 Metaphisice, commento 3.

Tertio sic: concupiscentia carnaliter est quedam creata volitio, sed ipsius volutas creata non est causa, igitur. Maior patet ex hoc quod est peccatum et patet ad sensum, et minor probatur, quia talis appetitus neque est in potestate voluntatis, quia invita voluntate ipsa habet talem appetitum, sicut docet Augustinus 10 Super Genesim ad litteram, capitulo 12, super illo verbo Apostoli *caro concupiscit adversus spiritum*. Et confirmatur per Apostolum ad Romanos, 7, dicentem: *non quod volo bonum hoc ago* etc. Ubi patet quod ispemet iniustus habebat appetitus et delecta(22ra) tiones carnales.

Respondeo: Ad primum, cum dicitur 'omnis potentia activa finita terminatur per maximum etc.', dico hic duo etc. Primo quod potentia activa naturalis vel naturaliter agens in tali passo sic disposita in tanto tempore et in tanta velocitate, et omnibus aliis conditionibus signatis cum generali Dei influenza terminatur per maximum in quod potest, sed non absolute. Patet, quia si talis potentia posset actum perfectiorem producere quam facit, statim sequitur quod non agebat secundum ultimum sue potentie, vel quod aliqua eius conditio vel passispositio sit meliorata.

Et consimiliter dico de potentia activa libera quod ipsa talis potentia agens libere cum tanto conatu in tanto tempore cum tanto habitu respectu talis obiecti et omnibus aliis circumstantiis paribus terminatur per maximum in quod potest pater, quia, si plus faceret, statim sequitur quod aliqua circumstantia dictarum sit meliorata.

Dico secundo quod nulla potentia naturaliter agens nec libere simpliciter terminatur per maximum in quod potest, quia quolibet dato. Adhuc potentia potest meliorari et passum melius disponi et per consequens poterit effectum producere perfectiorem. Et sic apparet quid sit dicendum ad maiorem illam. Ad minorem, cum dicitur 'sed voluntas creata non terminatur per maximum in quod potest, nec per minimum in quod non potest', dico quod immo utroque modo, ut dictum est.

Ad primam partem per quam probatur quod non terminatur per maximum in quod potest, concedo quod a sit potentia ipsius voluntatis et quod b sit maximus actus quod potest sic circumstantionata. Iterum concedo quod a excedit b, quia omne agens agit a proportione maiori, et concedo quod ille excessus erit divisibilis.

Item concedo quod ex a potest in aliam resistantiam maiorem quam sit resistantia b et per consequens in effectum maiorem. Sed dico quod oportet vel quod conatus eius augmentet vel aliqua alia circumstantia intrinseca vel extrinseca mutetur, et cum omnibus istis stat quod primus effectus erat maximum in quod a poterat cum omnibus illis circumstantiis manentibus, sed non erat maximum simpliciter.

Ad aliam partem cum probatur quod non terminetur per minimum in quod non potest, dico ad punctum argumenti: dato quod b sit minimum tale quod potest in quamlibet partem ipsius b et non potest in ipsum, nec va (22rb) let consequentia 'potest in qualibet parte b, igitur potest in b, sicut non sequitur 'possum scribere in una die quamlibet cartam vel partem istius libri, igitur possum scribere in una die istum librum. Et si arguatur contra istam partem quia Aristoteles primo De celo et eius Commentator dicunt quod quelibet potentia activa terminatur per maximum in quod potest, igitur non per minimum, dico quod debet intelligi ut dictum est in expositione maioris.

Ad secundum principale dico quod nihil potest agere in seipsum scilicet educendo se de potentia ad actum primum, sed bene educendo se de actu primo ad actum secundum. Vel quod Philosophus et Commentator loquuntur de actione phisica et naturali non de voluntaria. Ed ad confirmationem dicitur quod impossibile est quod aliquis sit simul in act et in potentia scilicet essentiali ad actum primum, ut dictum est in soluione secundi argumenti contra primam conclusionem 7 quaestionis.

Ad tertium dico quod concesso quod concupiscentia carnalis sit quedam volitio, dico quod est a voluntate, et quando dicitur quod non est in potestate voluntatis, dico quod concupiscentia carnalis accipitur dupliciter. Uno modo pro lege membrorum et concupiscentia sive inclinatione carnis adversus spiritum, et talis concupiscentia non est actus voluntatis, nec in eius potestate nec est peccatum, sed pena peccati.

Secundo modo accipitur concupiscentia pro consensu et beneplacito habito in tali repugnantia sive lege membrorum, et talis concupiscentia est actus voluntatis et in eius potestate, et est peccatum. Argumentum autem procedit de prima, non de secunda.

Secunda conclusio est quod voluntas creata stante primi influentia cuiuslibet volitionis vel nolitionis habet rationem totalis principii productivi. Probatur tripliciter. Primo sic: quia si non, sequitur quod voluntas respectu alicuius sui actus posset cogi, et non esset libera.

Consequens falsum, et contra Magistrum libro 2 distinctione 26. Probatur consequentia supponendo aliqua. Primum quod si aliquid aliud concurreret effective cum voluntate ad actum voluntatis quod illud agens esset agens naturaliter et non libere. Patet, quia sola voluntas est libera, et ideo solum actum eius dicitur peccatum. Ut ait magister, libro 2, distinctione 39, secundum quod omne agens naturale quanto perfectius et fortius est tanto ceteris paribus fortius et perfectius agit. Patet, quia quodlibet tale agit secundum ultimum sue potentie.

Tertium quod voluntas terminatur per maximum in quod potest vel per minimum in quod non potest, quia est potentia activa et finita eo modo quo dictum est in solutione primi argumenti contra primam conclusio.

Istis suppositis pono quod a et b concurrat cum voluntate active ad actum voluntatis tunc quero: aut a et b coagentia voluntati possunt ipsam cogere ad eliciendum actum, aut non. Si sic, habetur propositum. Si non, hoc est quia voluntas habet aliquem excessum supra a et b. Tunc ille excessus aut est finitus, aut infinitus. Non infinitus, per tertium suppositum; igitur finitus.

Pono igitur quod voluntas excedat a et b ut quattuor. Tunc certum est quod quanto magis virtus a et b augetur tanto magis minueretur dictus excessus.

Tunc pono quod virtus a et b melioretur vel augeatur per tantum et aliquid plus quantum erat excessus quo voluntas excedebat a et b. Et tunc sequitur quod voluntas non excedit a et b, immo econverso, ut patet manifeste, et tunc arguitur.

Virtus activa a et b excedit virtutem resistivam voluntatis ad eliciendum actum, igitur ipsam cogit. Antecedens patet ex casu, consequentia nota. Quod omne agens excedens resistantiam passi sibi approximati, si agat secundum ultimum sue potentie superat passum et agit in passum a et b sunt huius<modi>, quia sunt naturalia agentia per primum suppositum et omne tale agit secundum ultimum sue potentie et secundum suppositum, igitur.

Et confirmatur, quia a et b aut concurrunt equaliter ad producendum actum voluntatis cum ipsa voluntate, aut magis, aut minus. Si magis, igitur ille actus magis dependet ab a et b quam a voluntate et a et b erit principalior causa productiva actus voluntatis quam voluntas, et tunc actus voluntatis dependeret ex actione a et b et non econverso, et sic a et b, quandocumque essent determinata ad agendum semper ageret voluntas.

Sed a et b semper sunt determinata ad eundem actum agendum cum sint naturalia agentia. Igitur semper voluntas haberet eundem actum, quod est falsum.

Si dicatur quod concurrant minus vel equaliter ponatur quod ipsorum virtus etiam augeatur per tantum et plus per quantum virtus voluntatis excedit illa et sequitur ut prius.

Secundo arguitur ad conclusionem. (22vb) Quia si aliquid aliud a voluntate concurreret effective ad actum voluntatis, sequitur quod actus voluntatis non sit in potestate voluntatis hoc est falsum et contra Augustinum primo Retractationum, capitulo 9. Patet consequentia, quia ille actus non posset causari nisi causaretur ab illo extrinseco agente quod ponitur. Sed non est in potestate voluntatis quod illud agens agat, igitur nec effectus illius agentis, scilicet actus voluntatis erit in potestate voluntatis.

Tertio sic: si aliquid aliud a voluntate concurreret effective ad actum voluntatis sequitur quod idem agens numero manens idem naturaliter causabit contrarios effectus in eadem potentia uniformiter disposita. consequens falsum, quia idem manens idem naturaliter semper est aptum facere idem. Patet consequentia, quia talis causa que concurrat effective cum voluntate, ut dictum est, agat naturaliter.

Et tamen in potentia receptiva anime respectu eiusdem obiecti nunc causat actum volendi et postea actum nolendi.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: omnis forma naturaliter requisita ad hoc quod aliquis effectus naturaliter producat ita quod ille effectus sine illa naturaliter produci non posset est causa eius in aliquo genere causa, et cognitio est talis forma respectu volitionis, alias voluntas posset ferri in incognitum contra Augustinus 9 De trinitate capitulo ultimo.

Igitur cognitio est causa volitionis in aliquo genere causarum, sed non materialis, neque formalis, neque finalis, ut patet. Igitur efficiens. Et confirmatur, quia positus causis essentialibus et sufficientibus respectu alicuius effectus poni potest ille effectus omnibus aliis circumscriptis.

Sed posita sola voluntate adhuc quibuscumque aliis sola apprehensione intellectus circumscripta non potest poni actus voluntatis. Igitur cognitio vel apprehensio intellectus est causa actus voluntatis et non nisi effectiva.

Secundo sic: si cognitio non esset effectiva actus voluntatis, sequeretur quod non esset similitudo inter trinitatem et mentem rationalem quoad productionem tertie persone, quod est contra Augustinum 14 et 16 De trinitate ubi dicit quod sicut notitia est a mente, ita amor a notitia et a mente.

Tertio sic: obiectum est causa actus voluntatis, igitur conclusio falsa; consequentia nota, sed probatur antecedens. Et primo: quando voluntas diligit se ipsam, patet quod talis actus est ab obiecto cum voluntas sit illud obiectum.

Secundo, quia fruitionis beatifice (23ra) obiectum est causa.

Respondeo: ad primum negatur maior. Patet per exemplum, quia non possum totum istum librum scribere naturaliter nisi dormiam. Igitur dormitio est causa libri. Item nisi comedam. Igitur comestio est causa effectiva libri. patet quod non sequitur.

Quia tunc quanto magis dormirem vel comederem, tanto magis scriberem, quod est falsum.

Item, quia causa et effectus stant simul. Ista autem non stant naturaliter simul, quod ego dormiam et librum scribam.

Dico ergo quod maior est falsa loquendo de causa proprie dicta, sed sufficit quod talis sit causa sine qua non et sufficit.

Ad confirmationem dico quod maior illa est vera ubi cause iste non sunt impeditae. Ideo dico quod posita voluntate esset quibuscumque aliis excepta cognitione non sequitur actus voluntatis, non quia cognitio requiratur ut causa effectiva, sed ut causa sine qua non.

Unde privatio cognitionis est maximum impedimentum ipsius voluntatis.

Ad secundum dico quod in mente nostra est similitudo trinitatis quoad productionem tertie persone sed non omni moda, quia tunc oporteret quod cognitio et voluntas essent una simpliciter substantia, sicut ibi.

Si est talis similitudo quod sicut productio Spiritui sancti presupponit originaliter productionem verbi, ita in mente nostra productio actus voluntatis presupponit productionem cognitionis. Et ad Augustinum qui dicit quod amor est a notitia et a mente, dico quod aliquid ab alio esse intelligitur dupliciter. Aliquando proprie scilicet, quando ab illo efficitur vel procedit, ut calefactio ab igne, aliquando large et improprie, sicut mors pauperis famescens dicitur esse ab illo qui potest ei subvenire et tenetur et non facit.

Vel alio modo, illud large dicitur ab alio quod sine illo esse non potest, licet ab ipso non producat vel quia ipsum presupponit. Sic dico in proposito.

Amor est notitia et a mente id est a voluntate. Sed a voluntate proprie, quia ab ipsa producitur. A notitia autem large quia ipsam presupponit et sine ipsa esse naturaliter non potest.

Ad tertium nego antecedens. Ad primam probationem, cum dicitur quando voluntas dilligit se tunc obiectum est causa talis actus. Dico quod verum est inquantum voluntas, sed non inquantum obiectum, etiam posito quod obiectum in tali casu sit causa. Adhuc stat quod sola voluntas sit causa.

Ad secundam probationem dico quod non est contra conclusionem quae dicit stante primi (23rb) influentia quia talis causatio obiecti beatifici est ipsa primi influentia, et cum hoc stat quod sola voluntas stante primi influentia sit sui actus totalis causa productiva.

Tertia conclusio est quod voluntas increata in generatione eterni verbi non habet rationem principii productivi. Probatur tripliciter.

Primo sic: nullum absolutum in divinis generat verbum eternum. Igitur nec habet rationem principii productivi in generatione eterni verbi. Igitur nec voluntas increata. Primum antecedens patet, quia omne generans distinguitur a genito et nullum absolutum in divinis distinguitur a verbo genito, quia ibi omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio.

Et prima consequentia patet. Quia idem est generare verbum eternum et ipsum principiari productivum. Et ultima consequentia patet. Quia voluntas in Deo dicit quid absolutum.

Secundo arguitur quod non solum non producitur a voluntate, sed quod magis est ad propositum quod non producat per modum voluntatis sic. Illud quod producitur per modum generationis et non spirationis non producitur per modum voluntatis.

Verbum eternum est huiusmodi, igitur maior de se nota. Minorem ponit Magister libro 1 distinctione 16, dicens quod Filius nascendo accipit esse.

Tertio probatur auctoritate Magistri dicentis in ista distinctione quod pater genuit Filium natura non voluntate, hoc est per modum nature non voluntatis.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: sicut arguit Magister in littera. Quando aliqua sunt unum et idem quicquid attribuitur uni et alteri. Sed voluntas et natura in Deo sunt idem et filius est productus natura, igitur et voluntate. Maior nota, quia ex opposito predicati infertur oppositum subiecti. Minor est Magistri in littera.

Secundo sic: generatio filii est volita a Deo. Igitur generatio filii est voluntaria. Antecedens patet, quia omne bonum a Deo est volitum et consequentia patet quia bene sequitur 'hoc est volitum ab illo, igitur vult illud'.

Terto sic: pater generat filium aut libere, aut necessario. Si libere, habetur propositum, quia omnis actio libera est actio voluntatis. Si necessario, igitur ad hoc cogitur, quod est falsum.

Respondeo ad primum quod tanto quod in Deo natura et voluntas sint idem, non tamen sequitur quod quicquid predicatur de uno etiam predicetur de alio et hoc (23va) propter diversa connotata que connotant natura et voluntas, sicut Magister in littera ponit exemplum de voluntate Dei et eius scientia, nam Deus sua scientia novit tam bona quam mala, voluntate autem sua Deus non vult nisi bona, scientia quippe Dei et prascientia de bonis est et malis, voluntas vero et predestinatio de bonis tantum.

Dico secundo quod non credo quod intentio Magistri sit quod filius sit productus natura in quod natura divina genuerit filium. Quia natura est nomen essenziale, sed vult solum dicere quod est genitus modo nature, et similiter Spiritui Sancti modo voluntatis.

Unde generatio dicitur productio naturalis inquantum est productiva similitudinis et imaginis seu obiective apparitionis intra ipsum concipientem. Spiratio vero dicitur productio voluntaria inquantum est productiva flatus sive spiritus amantis.

Tamen proprie nec natura generat similia, nec voluntas spirat spiritum sanctum, cum sint communia et absoluta.

Ad secundum, cum dicitur quod generatio filii est voluntaria, notandum est quod aliquid dicitur voluntarium tripliciter.

Primo, quia a voluntate elicited, ut est in nobis omnis actus voluntatis. Et sic non est filii generatio. Alio modo aliquid dicitur voluntarium quia a voluntate est imperatum ut sint actus aliarum potentiarum ut loqui, ambulare etc. Imperat enim voluntas actus inferiores potentiarum, licet non aliciat eos nec etiam isto modo dicitur generatio filii voluntaria.

Tertio modo dicitur voluntarium quia a voluntate approbatum et acceptum et hoc contingit tripliciter.

Nam quandoque approbatio sive acceptatio precedit, quod approbatur quomvis non eliciat, ut cum evenit quod per optatum est. quandoque subsequatur ut complacet quod ante factum est quandoque concomitatur, tunc dico quod generatio filii est voluntaria non elicitive, non imperative, non antecedenter. Non consequenter, sed concomitanter, hoc est quia filium generat complacenter.

Ad tertium dico quod Pater generat filium libere modo nunc exposito et necessario, scilicet necessitate non coactionis, sed immutabilitatis que non opponitur libertati, ut supra dictum est.

Ad argumentum principale in oppositum, dico ad materiam argumenti quod produci modo voluntatis increate non est modus nobilior quam produci modo nature intellective increate.